This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lh
9
555

HORACE
Pauly.

Lh g. 555.



BOUGHT WITH

THE INCOME FROM THE

SUBSCRIPTION FUND

BEGUN IN 1858,

22 July, 1882.

QUAESTIONES HORATIANAE CRITICAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIX. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLI.

PUBLICE DEFENDET

FRANCISCUS PAULY
SEMINARII REGII PHILOLOGICI SENIOR.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCPIENT:

IOSEPHUS KRAUSS, PHIL. DR.
GUSTAVUS DRONKE, PHILOL. CAND.
IOSEPHUS HILGERS, PHIL. DD. SEM. PHIL. SOD. ORD.

BONNAE,
FORMIS F. P. LECHNERI.
MDCCCLI.

Lh 9. 555

[redacted]

JUL 22 1882

Subscription Fund.

FRANCISCO · EBBENIO·

IOSEPHO · KRAVSSIO·

IOANNI · NICKESIO·

PHILOSOPHIAE · DOCTORIBVS·

AMICIS · CARISSIMIS · PARVOLVM.

SVAVISSIMAE · STVDIORVM·

SOCIETATIS · TESTIMONIVM·

EXSTARE . VOLVIT·

F. P.

CAPUT I.

De Cruquii codicibus Horatianis.

Quanquam, ubi hunc libellum scribendum aggressus sum, non erat animus de editione Horatii Cruquiana in universum disserere, sed tantum de Blandinianorum codicum indole et auctoritate deque eorundem scripturis, quae aut neglectae hucusque essent ab editoribus aut inmerito spretae: attamen pauca de universo Cruquii apparatu critico (et de singulis editionibus) praemittere volui tribus potissimum de causis. Et primum quidem quia nemodum, quod sciam, de tempore, indole, auctoritate singularum Cruquii editionum omni ex parte recte disputavit; deinde quod ne de numero quidem codicum ab editore Horatio perpoliendo adhibitorum inter viros doctos satis constare vidi; denique quod indidem nonnihil redundare visum est ad Blandinianorum codicum aetatem paulo accuratius definiendam.

Edidit igitur Cruquius primum promulsidis instar anno 1565. Carminum librum IV., deinde a. 1567. Epodon librum, denique a. 1573. Sermonum libros et anno demum 1578. integra Horatii opera. Atque hanc primam editionem quae deinceps per centum annos insecutae sunt octo novae probe tenendum est non omnes ab ipso Cruquio esse curatas; enim vero quae post annum 1593 prodiere quinque editiones (a. 1597., 1603., 1611., 1629., 1678.) eas omnes post Cruqui mortem institutas esse cum aliunde satis appareat tum ex his verbis vitae Suetonianae subiunctis:

»Similem, benevole Lector, aut eandem potius vitae historiam reperies ad calcem huius voluminis *a. J. Cruquio editam* e. q. s.“

Id quod etiam Suringarius (hist. crit. schol. lat. p. 63) recte animadvertit. Sed quae prodierunt editiones a. 1579., 1587., 1593. has vel ipse titulus satis docet ab ipso Cruquio esse paratas; qua de re infra plura monebo.

Divisis igitur sic in duas classes editionibus primus Ianius in praef. p. XXXVII omnium editionum »classicam habendam esse“ putavit editionem a. 1611, et hunc secuti sunt deinceps Mitscherlichius, Preyssius, Braunhardus alii multi. Sed causas, cur ita statuendum sit, nec illorum quisquam addidit nec ego ullo modo potui indagare. Immo tam multis haec editio inquinata est vitiis et tam pravis typis impressa ut cui haec sola editio ad manus sit multis locis non possit non in errorem induci. Sic Epist. I, 2, 32 in illa editione legitur „*hominum*, Bland. vetustiss.“ et inde in omnes posterioris aetatis editiones male transiit; in editione autem a. 1579. recte scriptum est *hominem*. Huc si addideris alios locos sat multos et quod iam de numero codicum disputabo, facile concedes, opinor, praeter illam editionem ubique respiciendam esse unam ex iis, quae prodierunt Cruquio superstite. Quare ego quoque duabus editionibus usus sum, quarum altera a. 1579 edita est, a. 1611. altera.

His igitur praemissis iam pergamus ad ipsos codices Cruquianos. Atque prima est de numero codicum quaestio, quam quidem, quantum scio, nemodum ad liquidum perduxit. Bentleius quidem undecim codd. usum esse Cruquium dicit; Kirchnerus (in Sermonum editione) duodecim fuisse scribit; Ianius, Mitscherlichius, Preyssius item *un*decim, etsi numerando et ipsi duodecim invenerunt; alii denique de tredecim libris MSS. cogitarunt. — At dixerit fortasse quispiam ipsi Cruquio hac in re fidem habendam esse, qui diserte testetur, „undecim se codices perpoliendo Horatio adhibuisse“; verum id quidem est; sed non minus liquet

quod qui Cruquio fidem abrogarunt dicunt certe *plures nominari* quam undecim; nempe re vera *tredecim* memoratos inveneris, modo accurata computaveris; sunt autem hice:

> Codices Blandiniani quattuor, Buslidiani duo, cod. Carrionis, cod. Divaei, cod. Maldeghemius, cod. Martinii, cod. Nannii, cod. Silvii, cod. Tonsanus.

Iam vide mihi quam verum sit quod supra monui de utilitate comparandae ubique editionis „classicae" cum alia eaque ab ipso Cruquio curata. Est enim, ne multis morer, editionis a. 1579. proditae titulus non ut in edit. a. 1611. ceterisque omnibus post Cruquii mortem institutis:

> Quintus Horatius Flaccus cum commentariis et enarrationibus Commentatoris veteris et Cruquii Messenii e. q. s.

sed potius hic:

> Quintus Horatius Flaccus *ex undecim libris mss.* et *schedis aliquot* emendatus etc. opera Iacobi Cruquii e. q. s.

Sed haec priorum editionum inscriptio neglecta est ab omnibus, ni fallor, qui post Cruquium exstiterunt, Horatii editoribus et indidem tota de codd. numero lis orta est.

Iam vero altera exoritur quaestio, quorum codicum probabile sit Cruquium „schedas" tantum habuisse*), nam ipse id nusquam diserte dixit.

Itaque ut statim dicam quod sentiam puto equidem hos codices fuisse *Carrionis* codicem, qui in primo tantum Car-

*) Schedae autem sunt codicum folia cum aliis non compacta. Sed possit quispiam credere, schedas vocasse Cruquium folia, in quibus enotaverit varias scripturas ex eis codd., qui non iam praesto fuerint, quum editionem suam pararet et huc spectare quod ad Epist. I, 1, 105. et II, 2, 46. revera distinguit Cruquius inter codices, „quos viderit" et „quos adhuc apud se habeat." Sed primum monendum est, inter tales schedas et codices nullam esse veram oppositionem; deinde aut omnia fallunt, aut tales schedas plures confecit Cruquius quam duas, cum vix credibile sit in paranda editione undecim codices eum „apud se habuisse."

minum libro et *Buslidianum alterum*, qui non nisi ad Epod. II, 69. memoratur; ita ut his duobus segregatis *undecim* librorum manu scriptorum numerus efficiatur.

Ex eis autem, qui contra ipsius editoris apertissimum testimonium duodecim codices ei ad manus fuisse contenderunt, vel maxime errasse putandi sunt, qui *codicem Nannianum* e Cruquianorum codicum numero relegarunt, non diversum eum fuisse rati ab eo, quem ipse *Nannius* antestatur in „Miscellaneis criticis.“ Cui quidem opinioni adstipulati sunt Ianius et Mitscherlichius, qui in enumerandis Cruquii codicibus ne commemorant quidem *Nannianum*. Attamen non eandem fuisse Petri Nannii »codicem vetustum« ac Cruquianum illum nomine Nannii insignitum, inde potissimum certo certius fit, quod Nannius disertis verbis: „*vetus codex meus, inquit, nihil in Sermonibus nos adiuvat nam praeter ipsa Horatii carmina nihil habet.*“ Cfr. Gruteri Lampas, tom. I. p. 1271; contra Cruquii Nannianus codex non nisi in Sermonibus et Epistulis memoratur. Itaque Nannius illius codicis a suo plane diversi Cruquio copiam fecisse et Cruquius, ut id significaret, huic codici Nannii nomen imposuisse putandus est.

Multo autem gravior est quem nunc corrigam Ianii, Braunhardi, aliorumque errorem eodem codice Nanniano ortum. Etenim cum Nannius codicem suum, ut quem invenerit in bibliotheca Blandiniana, eodem nomine saepius insigniat, quo Cruquius suos Blandinianos, et praeterea plus semel, *vetustum aut pervetustum Blandinianum* nominet; hunc codicem non diversum fuisse sibi persuaserunt a Cruquii Bland. vetustissimo. Quod tamen falsissimum esse primum ex eo apparet, quod supra dixi codicem Nannii nihil nisi Carmina continuisse, nam in Cruquii Blandiniano omnia fuere Horatii poemata; deinde id vel ipsae scripturae a Nannio excerptae satis superque coarguunt. Mirum sane est, quod omnes, qui illos insecuti sunt, editores non *suis* oculis uti quam aliis credere maluerunt. Sic, ut unum tantum

exemplum afferam, quod Ianius ad Carm. IV, 13, 28, „*dilapsam*, inquit, *in Cruquii Blandiniano vetustissimo docente P. Nannio Miscell. III, 17*“ vel in tertiam Orellii editionem male irrepsit. Item, quod Orellius ad Carm. I, 12. dicit in Bland. vetustissimo defuisse inscriptionem huius carminis, id equidem nescio ubi Cruquius testatus sit. Sed haec hactenus.

Ad pretium denique codicum Cruquianorum quod attinet exceptis Carrionis codice et Buslidiano altero omnes designissimi esse videntur quorum scripturae accuratius cognoscantur, ita ut vix non persuasum mihi habeam operae pretium fore, si quis integrum quem congessit Cruquius apparatum criticum edere instituerit, ut quisque ipsis oculis videre possit et iudicare. Cui quidem sententiae probandae nonnihil momenti, opinor, inde accedit, quod vel Bentleius praeter Blandinianos codices (de quibus proximo capite sermo erit) etiam Buslidianum primum, Tonsanum, Divaei codicem plus semel nominat codices „optimae notae“ aut „venerandae antiquitatis“. Sed quae plura de reliquis codicibus primum in hac commentatione expositurus eram, ea spatii et temporis angustiis nunc exclusa aliud exspectant tempus. Pergamus igitur ad

CAPUT II.

De quattuor codicibus Blandinianis.

§. 1.

De aetate et specie externa codd. Bland.

Codices Blandiani nomen duxerunt a bibliotheca Patrum Benedictinorum S. Petri, quae fuit in monte Blandinio Gandavi, quo Roma delatos eos fuisse narrat Cruquius in eis, quae in fine editionis scripsit „ad lectorem“ (p. 647). Qui idem ad Serm. I, 1, 1. p. 308. diserte qui factum sit

docet, ut hodie non iam exstet illa bibliotheca; verba autem haec sunt: „Nunc, inquit, pro dolor! una cum Dunensi bibliotheca a barbaris nec unquam satis exsecrandis εἰκοναχλάσταις prorsus lacera, distracta, deperdita, exusta est, non comparabili rei litterariae et omnium disciplinarum nmedicabili vulnere.“ Atque quidem ante annum 1573. id factum esse id inde consectarium fit, quod verba illa ad Sermones scripsit, editos illos quidem, ut supra vidimus, iam a. 1573. Hoc autem fere congruit cum eo quod Mitscherlichius a. 1568. id factum esse dicit; quanquam ingenue fateor nescire me accuratiorem hanc temporis definitionem unde hauserit vir doctus.

Atque nunc primum quaeritur, quo tempore scriptos fuisse codices Blandinianos credibile sit. Cruquius quidem ipse saeculo IX. eos assignavit tribus locis, ubi, ante „septingentos annos“ eos exaratos esse dicit; sed vehementer dolendum est, quod „argumentis indubitatis“ sententiam suam confirmare oblitus est; promiserat enim se talia esse allaturum loco supra laudato his verbis: „in codicibus Blandinianis ante septingentos annos scriptis (id quo argumentis indubitatis aliquando testabimur) e. q. s.“ — Possumus tamen nos quoque, si dis placet, aliquanto accuratius tempus definire. Nam cum Cruquius ex quattuor Blandinianis unum nominet „*vetustissimum*“ aut ceteris „*multo vetustiorem*“ et hunc codicem sat multis locis propter „*venerandam eius antiquitatem*“ solum sequendum esse censeat prae reliquis haud sane viri dissimile est, hunc vetustissimum Blandinianum vel excessisse saeculum IX. Itaque etsi ingenue fatendum est hanc de codicum Blandinianorum aetate quaestionem hodie ad liquidum perduci non posse, quippe ipsis deperditis, tamen credibile esse videtur vetustissimum Bland. vel saeculo VIII. exaratum fuisse.

Sed utut hoc est, id spero „argumentis indubitatis“ me esse probaturum: hunc codicem ceteris omnibus, qui adhuc innotuerunt, praestare eumque fluxisse e fonte prorsus alio et

antiquiore quam ceteros fere omnes. Sed hac de re in capite proximo sermo erit.

Nunc igitur dicendum est de specie codicum externa; quod quidem ita instituere visum est, primum ut exponerem, quo ordine se in eis excepissent singula poematum genera, et quae fuissent eorum inscriptiones; deinde undique colligerem, de vocum orthographia quae passim memoravit Cruquius; denique dissererem de scholiis margini codicum adscriptis vel versibus superscriptis.

Sed prius quam ad haec transeam id praemonendum est, quattuor codices Blandinianos non omnes omnia Horatii opera continuisse, sed potius credibile esse in uno defuisse Carminum librum *tertium et quartum*; Cruquius quidem ipse id nusquam diserte monuit; at inde iure colligere mihi id visus sum, quod in his libris nusquam *quattuor* Bland. nominantur, sed aut *tres* tantum, aut *unus-alter-tertius*, aut *duo-tertius*. Qui tamen ex Blandinianis sic mutilus fuerit, id non liquet, quoniam praeter *vetustissimum* reliquorum nullus accuratius a Cruquio descriptus est; id unum tantum certo certius est, non defuisse hos carminum libros in ipso vetustissimo codice; nam hunc ibi passim singillatim antestatus est editor.

Quod quidem ideo probe tenendum est, quia indidem consequitur, ubicunque in his duobus libris *tres* codices Blandiniani nominentur, vetustissimum includi; id quod in reliquis libris omnibus in dubio relinquitur, nisi *quattuor* citantur.

Itaque, ubi non diserte nominatur Blandinianus vetustissimus, includi putandus est, si Cruquius aut *omnes* codices antestatur aut *quattuor* Blandinianos aut (quod in III. et IV. carminum librum cadit) tres. Quod quidem cum nemodum observasset, permultis horum librorum locis falso putatum est de Blandiniano vetustissimo nil constare.

Carminum autem libros quattuor in duobus Blandinianis excepisse artem poeticam Cruquius diserte monet ad Serm.

I, 1, 1. neque ego dubito quin horum alter fuerit vetustissimus; (qua de re possunt conferri quae dixit Bentleius in praef. p. X. et Kirchnerus nov. quaestt. Hor. p. 66 et aliis locis). In duobus autem reliquis codicibus primum sequebatur Epodon liber et post hunc demum Ars poetica.

Atque huc etiam ea pertinent quae Cruquius l. l. de singulorum librorum inscriptionibus monet. Sic, ut de singulorum Carminum, Sermonum, Epistularum titulis nunc taceam, (nam haec quaestio satis est lubrica) integri carminum libri et rursus singula *Carmina* hoc ipso nomine non *Odarum* nomine insignita fuerunt.

De satirarum autem, quas vocant, libris duobus sic edocemur: »in tribus codicibus Blandinianis haece inscripta fuerunt: Incipit primus *Sermonum* liber; singuli autem Sermones *Eclogae* nomen prae se tulerunt.« Quod idem praeter alios multos etiam in Bentleii optimos libros cadit. Sed diversa est, quae in codice vetustissimo fuit haec inscriptio:

Quinti Horatii Flacci carmen saeculare explicit; incipit *Eclogarum* liber primus.

Attamen cum in veterum Grammaticorum scriptis nusquam haec inscriptio reperiatur, sed altera illa in tribus Bland. inventa: puto equidem sciolum quendam Sermonum nomen ideo mutasse, quia in singulis poematis *Eclogae* nomen inveniret. Dignissima quidem est quae legatur, Cruquii satis copiosa hac de re disputatio ad Serm. I, 1, 1. Id unum tamen, ni fallor, nunc certo est certius Satirarum nomine non inscripsisse Horatium hos libros.

Ad orthographiam autem, qualis in codicibus Blandinianis fuerit, quod attinet pauca quidem sunt de ea a Crouquio memorata; sed nihilo minus quae huius modi congessi non celanda esse putavi cum quia plura in eis insunt per se cognitu digna tum ut alii huius rei me peritiores inde ad aetatem codicum paulo accuratius definiendam, si possent, aliquid eruerent. Igitur constanti fere usu scriptum fuit in codd. Bland.: *divolsus, volsus, parvola*; *artus* (non arctus);

urguere, tinguere; epistula, adulescens; cupressus, murreum; *suboles; pinna; dampnum, temptatum, ademptus; inpiger, inlutus, inlacrimabilis; inicere, obicere*; *baca, belua, milia; totiens, quotiens*; *intellego, neglego*; *querqueta; quicquid, quicquam; quatinus.* Addo *plosor, colis, clusus* pro *plausor, caulis, clausus;* poro usum *ae* litt. pro *e* littera longa, ut Carm. III, 27, 57. Europae. Serm. II, 6, 44. in Blandiniano vetustissimo scriptum fuit *Thraex,* quae vera et antiqua forma est a Graecis ita translata ut pro *ᾳ* scriptum sit *ae*; quod idem monet Paulus Diaconus ad Festum v. Thraeces, ubi „illud, inquit, ex Graeco *Θρᾷκες* eadem ratione, qua tragoedus ex *τραγῳδός* ortum puto ante Ciceronis saeculum, quo i illud ex pronunciatione evanuit;" — porro *quoi* = cui, quam quidem antiquam scribendi rationem Hauthalius de codice Heiniano p. 20. in nullis Horatii libris manu scriptis inveniri contendit; sed rectius fecit Lachmannus quod vel restituere conatus est hanc scribendi rationem Carm. II, 3, 9, ubi pro *quo* scripsisse poetam censuit *quor* (cfr. Mus. Rhen. III, 614 (a. 1845). Idem plura etiam de similibus vocabulis *quom, quoius* monuit ad Lucretium p. 172, 220, 398. *At* pro *ad* in codd. Bland scriptum fuisse, id pro certo affirmari nequit, quia nusquam hac de re diserte testatus est Cruquius, nisi forte quis huc pertinere putaverit quod ad Epod. IX, 17. pro *ad hoc* in Blandinianis codicibus legitur *at hoc.*

Atque haec fere sunt, quae de vocum orthographia diserenda videbantur; unde, ne plus dicam, id certe intellegitur, fuisse hoc codices aetatis satis antiquae.

Iam igitur restat ut de scholiis seu adnotationibus Blandinianis disseram, quas copiosissimas in illis codicibus fuisse cum ipse Cruquius sexcentics praedicat tum satis ostendit ipse *Commentator Cruquii* ex his ipsis adnotationibus descriptus, ut ipse saepissime monet. Sic dicit:

p. 478. „At ego malim sequi adnotationes Blandinianas ut in Commentatore scribi curavi.“

p. 498. „Et hoc est quod in commentatore scripsimus, vix ex characteribus barbarissimis codicum Bland. erutum τὰ πρὸς τἀναντία“

p. 536. Sed in adnotationibus Bland., ex quibus Commentatorem magno cum studio descripsimus, e. q. s.

In primis autem huc spectant verba ad artem poeticam scripta p. 639. et recte allata a Suringario l. l. p. 64.

Itaque Commentator Cruquii non est unius auctoris, id quod nonnulli putasse videntur, ut Heinsius ad Virg. Ecl. I, 18, sed e codicum in primis Blandinianorum scholiis consarcinatus et quidem „*cucullatis commentis omnibus separatis*“ ut ipse Cruquius fatetur in iis, quae vitae Suetonianae praemisit »ad Lectorem benevolum.« Sed ut verum sit, nusquam adnotationes illas auctoris nomen prae se tulisse (qua in re certe non est cur Cruquio fidem abrogemus): tamen id dubium vix ac ne vix quidem esse potest quin maximam partem nihil aliud fuerint nisi Acronis et Porphyrionis commentarii, id quod etiam Suringarius l. l. p. 66. satis acriter et subtiliter exposuit. Qui idem si p. 82. de Commentatoris pretio et in emaculandis Acronis et Porphyrionis scholiis auctoritate disputans haece dicit: »Qualiscunque autem horum scholiorum origo fuerit, hoc tandem a me monitum velim, futurum Horatianorum scholiastarum editorem vix telam suam bene pertexturum esse, nisi hunc, qualis a Cruquio ex locupletioribus et subinde minus inquinatis codicibus editus est, laborem diligenter et κατὰ πόδα sed et caute usurpet ad emendanda, quae vel in Fabricii editione interdum miserrime corrupta sunt Acronis et Porphyrionis scholia« me quidem prorsus habet assentientem. Nam et ipse sat multis locis dedita opera Commentatorem cum illorum scholiis quae hodie feruntur contuli et probe intellexi, ex tali comparatione pedetentim

instituta quid et quantum profici posset ad genuinam his scholiastis faciem instaurandam.

Volebam hic pauca illis locis a Suringario congestis addere, sed satius duxi aut in aliud tempus id referre aut omnino relinquere iis, qui tandem aliquando hos scholiastas emendatiores edere coepissent. Nam instituerunt id permulti; fecit nemodum. Sed ne *spes* quoque prorsus evanesceret, aliquando fore ut quis illos re vera ederet ego quoque illis Horatii interpretibus manum admovere instituï, modo mihi librorum apparatus, ad hanc telam bene pertextendam necessarius undeunde subministraretur. Noli tamen putare fugere me vel summas talis operae difficultates, exiguas tironis vires longe excedentes: sed inchoasse aliquid aliosque ut inchoatum ad finem perducerent incitasse: in hoc queque satis magna laus posita est. Utinam igitur tandem aliquando miserrimae Scholiastarum Horatianorum conditionis nos ita misereat, ut auxilium eis parare quam diutius conqueri malimus. At quid molior? Hauthalius enim de somniis his certior factus, cavebit, ut solet, ne »iuvenes in talibus minus versati« difficilimam hanc operam subeant. Nam talis metus huic viro innatus et natura insitus est; unde quid iam profecerint literae aliorum sit iudicium. — (cf. eius de cod. Heiniano lib. p. III. et 43.)

§. II.

De auctoritate codicum Blandinianorum.

Omnium quotquot adhuc exstiterunt Horatii editorum nemo rectius aequiusve de codicum Blandinianorum pretio et auctoritate iudicavit quam Richardus Bentleius; qui quamvis rarissima librorum manu scriptorum et exquisitissima optimarum, quae ad ipsius usque aetatem prodierant, editionum copia instructus: tamen codices Blandinianos omnium primum locum obtinere voluit, eisque suorum vel antiquissimos, Graevianum dico, Leidensem, Reginensem

permultis locis cedere iussit. In primis autem magni aestimavit Blandiniani vetustissimi auctoritatem. Sic ut pauca tantum afferam Carm. IV, 7, 15. pro *pius* scribendum esse censit *pater* vel »ob solam Blandiniani auctoritatem;« Serm. II, 4. 44. *foecundae* scripturam recipi iubet ex omnium codicum »optimo Blandiniano;« item Serm. II, 8, 88. *anseris albae*; Serm. I, 2, 10. codicis Blandiniani honori dandum esse iudicat, ut pro *pelli, tolli* reponatur; Epist. I, 2, 31. equattuor Bland. recipit *somnum* pro *curam*. Adde denique quae copiosius exposuit ad Serm. I, 6, 126. ubi primus »ex omnium codicum vetustissimo et optimo Blandinianoα veram poetae faciem instauravit.

Quodsi mirum est, quod idem longe plurimis locis ne memoravit quidem codicum Blandinianorum scripturas: *magis* profecto indigneris necesse erit, quod qui Brittannum secuti sunt editores, partim omnino neglexerunt hos codices, partim in iis memorandis subsisterent. Quae quidem illorum incuria et socordia vel eo processit, ut aut acquiescerent in scripturis inde a Bentleio allatis, nec plures apud Cruquium latere putarent, aut hic illic novas ex iis afferre satis haberent, iudicium autem interponerent nusquam. Sic igitur factum est, ut haud pauca in Cruquii editione hodieque lateant aut ignota viris doctis aut inmerito spreta. —

Nostra demum aetate exstiterunt, qui idem partim recte suspicarentur partim vel exemplis probarent. Inter quos inprimis nominandus est *Carolus Lachmannus*, qui in Mus. Rhen. a. 1845 p. 615 rectissime animadvertit, sicut scripturis codicum Orellianorum iusto maior ab editoribus tribuatur auctoritas, quippe qui rarissime tantum exquisitioris generis scripturas praebeant, ita quattuor optimos Bentleii codices et *Blandinianum vetustissimum* mirum quantum negligi. Post hunc in eodem Mus. Rhen. a. 1848 p. 632. ex codicibus Blandinianis quattuor locis genuinam scripturam restituit Paldamus. Denique *Ritschelius*, praeceptor omnium facile carissimus, idem nos monuit plus semel inter Semi-

narii philologici exercitationes ; quare cum primum instituissem Antiphontis, oratoris Attici, fragmenta colligere atque emendare, tum vero collectione vix non ad finem perducta hanc mihi palmam praereptam viderem a Baitero et Sauppio VV. CC. in Oratorum Atticorum tom. II.: auctore et suasore Ritschelio meo mense Augusti anni superioris Horatio ita manum admovere coepi, ut commentariis Cruquianis quam diligentissime excussis quidquid in iis adhuc lateret ad emendanda Horatii poemata quoquo modo facieus praecipue in scripturis Blandinianis ibi passim allatis colligerem examinaremque. Atque inde si quid redundaverit ad poetam Venusinum sui aliquanto similiorem reddendum, id ut ita esset effecerunt praeclara praecepta et subsidia, quae subministrasse mihi eundem Fridericum Ritschelium gaudeo quod mihi nunc occasio data est ut publice fatear.

Iam vide mihi quid de codicum Blandinianorum auctoritate iudicandum esse censeam.

Blandinianus vetustissimus non solum omnium quotquot adhuc collati sunt codicum optimus esse videtur, sed ita quoque comparatus ut eiusdem originis stirpisve vix ullus alius ad nos pervenerit. Atque hoc non solum ex memorabili illo versu Serm. I, 6, 126 (de quo alibi loquar) perspicitur sed accedunt haud paucae eiusdem ponderis scripturae, quae aut nusquam alias reperta sint aut fere nusquam.

Huc pertinent, ut ex locis circiter centum quadraginta nunc principes tantum afferam: Carm. III, 24, 4 *publicum*; IV, 1, 22 *lyraque et Berecynthia tibia;* IV, 6, 21 *flexus* (pro victus), 7, 17 *vitae* (pro summae); Epod. II, 25 *rivis;* Serm. I, 1, 108 *redeo qui nemo ut;* I, 2, 110 *tolli* (pro pelli); 3, 60 *versemur,* 132 *tonsor*; Serm. II, 4, 80 *creterrae,* 6, 10 *ille,* 8, 88 *albae;* Epist. 1, 16, 44 *res sponsore* alia. — Quae quidem scripturae omnes sunt ita comparatae ut inde ad familias codicum constituendas permultum profici possit. Huc id quoque pertinet quod de Sermonum libris supra diximus et quod Carm. III, 2. et 3. in eodem codice

vetustissimo non segregata sunt sed cohaerent. Sed plura hac de re infra monebo, ubi de codice Gothano sermo erit.

Non quidem eadem est trium reliquorum Blandinianorum auctoritas, sed tamen suppar; originem enim duxisse videntur non ex ipso Vetustissimo, sed ex alio quodam codice interpolatorum manus saepius iam experto, quanquam sat multis locis cum ipso Vetustisimo congruente. Quod quidem vel inde apparet, quod in eisdem Serm. I, 6, 126 atque aliis locis depravatae scripturae genuinarum sedem iam occuparunt. Ceterum autem vel maxima eorundem cum Vetustissimo cognatio ut ex sexcentis scripturis, in quibus cum illo faciunt, ita magis etiam inde iure colligere mihi visus sum, quod in quattuor omnibus Carm. II, 14 et 15 et IV, 14 et 15 non separati erant; dein Epod. XVI et XVI in eisdem omni inscriptione carebant; denique quod Serm. II, 6 et 7 non erant segregati; et quae sunt alia huius modi. Nam etiam si vellem vix possem omnia attingere, quae huc pertinere visa sunt.

Itaque inprimis quaerendum est, quot tandem locis Vetustissimi codicis scripturas Cruquius attulisse putandus sit. Pertinent autem huc primum ei, ubi diserte eum solum editor memoravit; deinde ubi quatuor Blandinianos aut omnes suos codd. antestatur; denique ubicunque in *III. et IV.* Carm. libro *tres* citantur, ut supra iam monui. De iis autem locis ubi „unus, alter, tertius, quartus“ vel „duo — duo“ vel „tres — unus“ nominantur, nisi aliunde quid accesserit, quod certiores nos facere possit, certum iudicium fieri nequit, a qua parte Vetustissimum stetisse probabile sit.

Noli tamen putare id me fugisse, vel ipsum vetustissimum codicem Bland. hic illic certi cuiusdam interpolatoris manum prodere. Hoc quidem probe scio, sed plerumque prima manus aut omnino non deleta fuit, ita ut puncti supposititi essent, quibus indicaretur in aliis libris aliter scriptum fuisse, ut Serm. I. 6, 126. et 3, 83; aut ita tantum, ut

prima manus adhuc cognosci et enodari posset, ut Serm. II, 4, 80. *creterrae*; aut denique prima manu servata supra scripta fuit altera scriptura ut Serm. II, 3, 188. *quaere*, II, 8, 53. *quo*, Epist. I, 15, 5. perluor.

In tribus autem reliquis codicibus fere omnibus huiusce modi locis interpolationes illae genuinarum scripturarum sedem iam occuparunt. — Sed nonnunquam etiam fit, ut vera et genuina scriptura aut oblitterata in Blandiniano codice vetustissimo aut leviter fortasse corrupta,*) e tribus reliquis Blandinianis salus sit petenda.

Itaque ut paucis rem complectar; codices, unde fluxere *tres* illi Blandiniani, ipsi originem duxisse putandi sunt ex codicibus vel maxime quidem cum Vetustissimo cognatis sed tamen passim interpolatis; ita ut *summa* fere auctoritas tum adesse videatur, cum *omnes* codices Blandiniani easdem scripturas exhibent.

Atque quidem tanta mihi videtur Codici Vetustissimo aut quattuor Blandinianorum consensu tribuenda esse fides et auctoritas: ut quo pluribus locis alii aliorum editorum libri scripti easdem ac illi exhibeant scripturas, eo maior esse censenda sit eorum in emaculandis Horatii poëmatis vis virtusque.

Quare si tandem aliquando certiore quodam et solidiore in arte critica factitanda uti voluerimus fundamento, id in primis elaborandum erit, ut singulorum codicum scripturis cum Blandinianis passim collatis, qui proxime ad illorum integritatem et praestantiam accedere visi fuerint, segre-

*) Huc tamen non pertinent tales loci, quales sunt Carm. IV, 2, 6, „*cum — saliere*," IV, 6, 8 „*laetus Agyllae*" alii; nam talia non codicibus danda sunt, sed Cruquii oculis minus acutis minusve exercitatis; ex altero autem illo loco nescio an concludendum sit, in Blandiniano vetustissimo nihil inter singula rerba relictum fuisse vacui spatii; in altero scriptum fuit *laetus* in quo Cruquius latere putavit *laetus* non *laetis*. —

gentur a reliquis, et soli deinceps una cum ipsis Blandinianis in crisi pro fundamento habeantur.

Itaque, ut ipse statim exemplum proponam, vide mihi quae nunc expositurus sum in

CAPITE III.

De codice Gothano.

Hunc codicem quamvis omnium recentissimum cum ex Kirchneri nov. quaestt. Hor. p. 23 vidissem Serm. I, 6, 126 eandem praeclaram scripturam praebere ac Blandinianum Vetustissimum sc. „*fugio campum lusumque trigonem*" idemque etiam in alios locos cadere indidem perspexissem, ut Epist. II, 2, 32 *opimis*, non potui non suspicari, eundem in eorum codicum numero esse, quibus, ut cum ipsis Blandinianis in primisque cum Vetustissimo cognatis, aliquanto maiorem, quam huc usque fecissent editores, tribuendam esse auctoritatem supra monui. —

Quam tamen sententiam cum ex paucissimis, quas Kirchnerus ex illo codice attulit, scripturis haud satis confirmari intellegerem nec aliunde, quae opus esse videretur, satis accurata codicis collatio parata esset: me ipsum eum inspicere necesse esse ratus adii praeceptorem carissimum Fridericum Ritschelium rogans ut mihi quam primum huius Gothani codicis copiam, si posset, faceret. Qua quidem in re virum illum spectatissimum ea qua me semper amplexus est animi benevolentia mihi obsecutum esse vix est quod moneam.

Itaque nunc vide mihi quot in altera eaque praestantiore huius codicis parte, quae Sermones et Epistulas continet (v. Kirchn.) exstent scripturae prorsus consentientes cum iis, quas ex Vetustissimo Blandiniano attulit Cruquius; nam quod statim in hos locos inquisivi reliquis aliquantisper relictis nimiae iuvenis curiositati facile condonabis. Et

quidem in singulis enumerandis vulgarem Sermonum et Epistularum ordinem sequar, non turbatum illum quem ipse Gothanus prae se fert.

	Cod. Goth. et Bland. vetust.	*Reliqui omnes aut fere omnes*
Serm. I, 2, 12	Fu*t*idius	Fu*f*idius
97	tum offici*e*nt	tum offici*u*nt
110	*toll*i	*pell*i
6, 68	*nec*	*aut*
7, 7	*tumidus*	tumidus*que*
17	*pigrior*	*pulchrior*
21	intus *pro*currunt	*con*- seu *oc*currunt
10, 27	Latin*i*	Latin*e*
II, 1, 79	defin*d*ere	defin*g*ere
2, 56	d*u*ctum	d*i*ctum
3, 4	a*t* ipsis	a*b* ipsis
96	con*struxerit*	con*traxerit*
189	a*t* si	a*c* si
108	alias ver*i* scelerisque	vero s. ver*is*
II, 4, 2	vinc*e*nt	vinc*u*nt
74	inven*t*or (i. e. invenior)	inven*i*
80	cre*t*er*r*ae	cr*a*ter*a*e
5, 93	increb*r*uit	increbuit
6, 10	ut ill*e*	ut ill*i*
7, 58	uri virgis, ferroque	uri, virgis ferroque
72	v*i*sa	v*a*sa
83	sibiqu*e*	sibi qu*i*
8, 88	alb*ae*	alb*i*
Epist. I, 2, 32	hominem	homines
33	atqu*e*	atqu*i*
7, 93	*ponere*	*dicere*
14, 59	qua (l. m.)	quae
15, 10	deversoria	d*i*versoria
16	dulcis (*dulcis*, Goth.)	iugis
16, 1	Quinc*t*i	Quinti
3	pomis*n*e *an*	pomisve *et*

49	negat atque (negitatque)	negatque
19, 22	fidet-reget	fidit-regit
II, 1, 28	Graiorum	Graecorum
35	chartis pretium	pretium ch.
69	delendave	delendaque
167	*in scriptis*	*inscite*
168	accessit	arcessit
168	*gaudet*	*plaudit*
2, 32	*opimis*	*honestis*

Atque hisce si addideris, quod idem codex plerisque locis etiam cum *quattuor* Cruquii Blandinianis consentit: facile, opinor, tibi ipse persuadebis, vel maxime cognatam esse hanc codicis Gothani partem cum Cruquii Vetustissimo. Non quidem ille ex hoc fluxisse putandus est, nec uterque *unum eundemque* fontem habuit, sed potius credibile est Gothani codicis fontem quasi medium quendam tenuisse locum Vetustissimum inter et tres reliquos Blandinianos; atque huc fortasse pertinet, quod in Gothano codice plures interpolationes nondum, ut in tribus Blandinianis factum est, genuinarum scripturarum locum obtinent sed prima manu servata suprascriptae sunt. Sic ut pauca ex multis eligam Epist. I, 2, 31 *somnum* Goth. *curam* (curam) tres Bl. 15, 16 *dulcis* Goth. *iugis* (iugis) tres Bl. 14, 11 *res* Goth. *sors* (sors) tres Bland.

Sed utut hoc est (nam res est satis ambigua et lubrica, nec ego volui certi quid statuere): id tamen si dis placet probabile est, eam esse codicis Gothani in Sermonibus et Epistulis condicionem et indolem, ut non solum cum Kirchnero ex antiquissimo et optimo sed adeo Vetustissimo Blandiniano vel maxime adfini codice originem duxisse credendus sit.

Quod si verum est, indidem consectarium est, ubicunque Cruquius de Blandinianis vel potius de Vetustissimo non diserte testatus sit, in primis Gothanum codicem, modo per se fieri possit, esse sequendum. Quae quidem sententia

magis etiam firmari videtur eo, quod ubi Blandinianus scripturam exhibet aperte falsam aut certe oculis non recte usus est Cruquius, in eodem Gothano plerumque vera scriptura servata est: sic, ne desint exempla, Serm. II, 3, 251 *primus* Bland. *trimus* Goth.; Epist. I, 8, 12 *venturus* Bland. *ventosus* Goth., (quae quidem scriptura et sententiae magis altera convenit et Servii auctoritate nititur ad Vergil. Aen. IV, 224.); Epist. II, 1, 247 *Varusque* Bland. *Variusque* Goth.; ibidem 2, 36 *mentem* recte Goth.; nam quod in Bland. est mentis (i. e. mentes) ferre nequit servata *timido* scriptura; *timidis mentis addere* prorsus recte se haberet.

Idem fere cadit in eos locos, ubi memorat quidem Cruquius varias aut plurium aut omnium Blandinianorum codicum scripturas, sed tamen in dubio relinquitur a qua parte steterit Vetustissimus (v. p. 15. in fine). Mihi enim plerisque his locis iudicium ferendum videtur ex codice Gothano. Sic Serm. I, 1, 88 duo Bland. exhibent *an*, alteri duo *at*, nec dubium esse potest, quin a scriptoris manu profectum sit *at;* ibid. 2, 54 *hoc amat hoc laudat* tres Bland. *et laudat* quartus et Gothanus, quare praetulerim equidem *et* scripturam; 4, 25 *eripe* tres Bland. *elige* quartus et Goth.; quo quidem loco benefactum est a Bentleio, quod *elige* scripturam recte se habere dicit, malefactum quod nihilominus, contra plerosque suos et optimos libros nimia coniectandi libidine abreptus *eripe* corruptum esse putavit ex *arripe;* quamquam recipere hanc coniecturam non ausus est. Sed haec hactenus.

His igitur quamvis breviter disputatis id puto effectum est, priorem codicis Gothani partem ita ad Bland. Vetustissimi similitudinem accedere, ut in emaculandis Horatii Sermonibus et Epistulis non possit non haberi in eorum numero, unde nova salus sit petenda. Pluribus autem exemplis id perfecta accuratiore codicis collatione aut infra probabo aut alia occasione oblata.

Pergamus igitur nunc ad alteram codicis Gothani partem, quae Carminum libros quattuor, Epodon librum et Carm. saeculare continet.

Ad auctoritatem autem huius partis quod attinet (nam de externa eius specie vide quae disputavit Kirchnerus l. l. p. 24 sqq.) quanquam verum est, quod dicit idem Kirchnerus *'minus puram et emendatam esse in hac parte scripturam'* quam in priore, tamen equidem non dubito quin fontem habuerit fere aeque vetustum (etsi non ita ad Bland. Vetustissimum accedentem ut in altera parte id vidimus), ita ut inter meliores codices sit habendus.

Quod quidem iure collegere mihi visus sum primum e scripturis quales sunt:

Carm. I, 6, 7 *duplices* 15, 2 *Helenam* 20. *Crines* 24, 13 *Quid si-num* 27, 19 *laborabas* 35, 17 *serva* II, 2, 17 *Phrahaten* 18 *plebis* III, 5, 10 *et nominis et togae* 14, 11 *ominatis* 24, 4 mare publicum IV, 1, 22 *lyraque et Berecynthia tibia;* Epodon V, 60 *laborarint* 6, 3 et 4 *verte-pete* 16, 14 *videri;* Carm. saec. 25 *aras* 68, 71, 72 *Prorogat, curat, applicat.*

Deinde autem ex eo, quod huius partis cum codice *Turicensi* tanta est vel in vitiis cognatio, vix ut dubium esse possit, quin utriusque fons non dico idem at certe simillimus fuerit. Itaque nunc primum vide mihi quae et quanta esse videatur

Turicensis codicis

cum codicibus Blandinianis inprimis cum Vetustissimo affinitas. Nam quod Kirchnerus p. 55 dicit, scripturam huius codicis a librario parum erudito non ex optimo exemplari ductam esse id ex parte tantum verum est. Sane librarius fuit parum eruditus; sane in codice haud pauca insunt prava et vitiosa; sed nihilominus bene fecit Baiterus, quod *'ingratum et taediosum Kirchneri negotium'* in se iterum suscepit novamque huius codicis scripturarum *'racemationem'* instituere maluit, quam Kirchnero nimiam habere fidem.

Etenim, ne multis morer, quod iam e scripturis e Turicensi codice in secunda Orellii editione congestis collegeram: »nisi ex eodem tamen ex suppari codice hunc codicem originem traxisse ac Cruquii Blandinianum«: haec sententia, nova collatione Baiteriana aut omnia fallunt aut vel summam nacta est probabilitatem. Quod quidem ut ipse tibi persuadeas vide quas congessi ex codice Turicensi scripturas; in quibus *Turicensis* cum *quattuor Bland. aut cum solo Vetustissimo* consentiunt: —

Carm. I, 3, 19. *turbidum*; 37. *ardui est*; 7, 17. *perpetuo* 8, 15. *viriles* quae falsa scriptura mirum est quod convenit cum Bland. vetustissimi adnotatione „*virileis* esse accusativum«; 21, 5. *comam*. 22, 11. *expeditis* 24, 2. *lugubris* (ubi iterum falsa est in Vetustissimo adnotatio adscripta, *lugubris* esse genitivum); 24, 15. *quid si-num;* 25, 2. *iactibus* 5. *facilis*(?) 27, 18. *a*. (i. e. ha) 19. *laborabas*, nam maiorem Baitero fidem habeo quam Kirchnero qui *laboras* se invenisse testatur; 27, 25. *neglegit* 28, 19. *densentur*, 35, 17. *serva* 36, 8. *pueritiae*.

II, 2, 17. *Phrahaten* 18. *plebis* 3, 9. *quo* 11, *quid* 12, 2. *durum* 12, *minacium* 13, 8. *Colcha* 14, 6. *inlacrimabilis*, ut *in*lapsus, *in*retortus alia 14, 27. *tinguet* 18, 8. *clientae*.

III, 4, 38. *abdidit* 55. *Rhoetum* 6, 9. *Monaesis* 7, 4. *fidei* 8, 5. sermones 10, 6. satum 14, 11. ominatis; quibus ne longius expatier adde

III, 24, 4, mare publicum
60, hospites
IV, 4, 73. perficiunt
5, 36. defuso
7, 15, pater
17, vitae
8, 9. nec tibi
12. muneri
12, 23. inmunem tinguere
13, 14. cari

} una cum Blandiniano *Vetustissimo*.

Item Carmen XIV. et XV. libri secundi in codice Turicensi coniuncta repperit Baiterus, id quod de nullo alio codice testatum est, quod sciam, nisi de *Blandiniano Vetustissimo*. Atque idem fortasse etiam in Carm. III, 2, et 3. et Carm. IV, 14. et 15. cadit; nam facile fieri potuit, ut Baiterus hoc omitteret.

Iam adde quod ubicunque scripturae codicis Turicensis discrepant a Blandiniani scripturis, fere nusquam non continuo deprehenditur librarii aut ignorantia aut nimia festinatio. Sic quod exhibet Carm. I, 2, 18. *ultorum* pro *ultorem*; 29.: *expiandum* pro *expiandi* 5, 13. *interpretata* (ex »intemptata«) 12, 31. *minas* et II, 2, 12. *fugas* pro *minax*, *fugax* 20, 11. foronani (!) 24, 3. *liquida* (ex »liquidâ« male ortum) 25, 3. *somnes* 27, 16. *ingenua* 29, 1. *invides* 31, 11. *culillis* 36, 15. *desinit*; quorum similia ex Baiteri editione facile ipse congerere potes permulta.

Atque magis etiam librariorum errori dandum est nec tamen codicis auctoritatem multum comminuit, si hic illic aut verba ita sedem mutarunt, metricae rationi ut non iam satisfiat, aut mixtis inter se *nec* et *neque* particulis item metrum laeditur, aut versus omissi sunt, aut unum verbum bis ponitur: qualia sane haud raro in Turicensi codice occurunt.

Atque ut nunc paucis ad alteram Gothani codicis partem, unde abii, redeam: est huius cum Turicensi codice vel in vitiis tanta similitudo, ut fontem ne dicam unum eundemque at certe vel maxime adfinem prodere videatur. Quod quidem ut ipsis oculis videres plura congessi exempla non quidem omnia sed omnium apertissima.

Carm. I, 3, 3. *pater regat*
7, 13. *Ac tiburtini lucus et praeceps Anio et uda*
10, 17. *animas laetis*
15, 21. non iam *Lartiaden*
7, 22. *ter* uda Lyaeo
36, 15. *desinit*

31, 11.	*culillis*
II, 3, 22.	*nihil*
III, 2, 23.	*ire*
4, 16.	*Ferenti*

Omisi talia qualia sunt I, 12, 38. *paulum* 13, 13. *audies* 18, 2. *cathilli* 23, 1. *vitat* 25, 7. *longa nocte* 28, 15. *mors* II, 5, 13. *sequitur*, quia eorum numerus est paene infinitus.

Itaque, ut iam finem his imponam, quod in eis quae praecedunt demonstrasse nobis videmur hoc est: »Tantam esse *codicis Gothani* in Sermonibus et Epistulis, in reliquis Horatii poematis *codicis Turicensis et iterum Gothani* cum codicibus Cruquii Blandinianis, in primis cum Vetustissimo adfinitatem: ut merito in eorem numero habeantur, qui in emuculandis Horatii poëmatis crisi pro fundamento esse et possint et debeant.«

Qua quidem via equidem nullus dubito, quin aliquando futurum sit, ut segregatis ex ingenti codicum turma segregandis codicibus crisis Horatiana certius solidiusque fundamentum nacta laetius efflorescat quam id fieri potuit huc usque sub codicis Bernensis B aliorumque imperio*). — Noli tamen putare spernere me codicis Bernensis virtutes (nam intactae haec ei maneant), sed quod facile contenderim hoc est, certe iusto maiorem huic codici tribuisse auctoritatem nostrae aetatis editores fere omnes. Nam, verum ut fatear, quantum quidem ex collationibus persentiscere

*) Sic, ut obiter id moneam, eandem fere deprehendere mihi visus sum cum Blandinianis codicibus adfinitatem scripturis e codicibus Lipsiensibus 2. et 3. et e Dessaviensi primo ab editoribus (in primis ab Obbario ad Epistulas) passim allatis. Quo accedit quod certe in Lipsiensi 3. et Dessaviensi locupletissima scholia exstant, quae saepissime cum Cruquii „Commentatore“ ex Blandinianis codicibus consarcinato mirum quantum consentiant; sed cum temporis angustiis prohiberer, quominus eos ipsis oculis inspicerem, satius duxi digito tantum attingere hoc quam ex vastis Obbarii adnotationibus plura exempla congerere. —

mihi videor, propius ad codices Blandinianos accedere existimo Bernensem b littera insignitum quam vetustissimum. Sed certum de his iudicium nunc nolui interponere; exspectandam potius duxi Francisci Ritteri novam collationem; qua quidem utinam aliter edocerer!

Itaque nunc ad alteram huius dissertationis partem aggrediar, in qua ex codicum Blandinianorum, Gothani et Turicensis auctoritate aliquot locis selectis genuinam poetae manum instaurare conabor. Nam omnia memoratu digna quominus nunc afferam »prohibet res animusque«.

CAPUT IV.

De locis aliquot Horatianis.

Carm. I, 2, 12. Bland. Vetustissimus cum Gothano exhibet *sumes* scripturam. Atque Bentleius, qui eandem scripturam in optimis Leidensi et Graeviano invenit, nihilo minus alteram *sumis* scr. praetulit, quia »*sumis celebrare* vim haberet et notationem temporis futuri«, et hunc secuti sunt nostrae aetatis editores, ni fallor, omnes. Sed inmerito, opinor. Nam ut verum sit, quod Bentleius dicit, (et est verum) quid tandem impedit, quin illa »futuri temporis notatio« vel amplificetur? Itaque nisi graviores causae allatae fuerint, codici Bland. et Gothano dandum erit, ut scribatur

Tibia *sumes* celebrare Clio

ut in proxime versu: »cuius *recinet* iocosa nomen imago.« Contra bene factum est a Bentleio quod Carm. III, 9. recepit scripturam »mare turbidum«, quam tamen longe plerique qui eum insecuti sunt interpretes et editores, alteri »turgidum« scr. cedere voluerunt. Sed ut a sententia aeque bene se habet *turbidum* scriptura (ne dicam melius) sic etiam Bland. Goth. et Tur. codd. auctoritate nititur.

Carm. I, 15, 24. scribendum est e tribus Blandinianis (inter quos etiam Vetustissimum fuisse inde credibile est, quod per totum carmen *tres* tantum Blandiniani nominantur):

Teucer *te* Sthenelus sciens.

Nam ego quidem non video, qui hac scriptura recepta adeo offensioni sit pluralis *urgent*; immo scripsisse poeta putandus est *urgent*, quia de duobus cogitabat, deinde autem pluralis quasi oblitus leni mutatione facta repetiisse accusativum *Te*, quo sermonis vis aliquanto augeretur. Quod Bentleius praetulit »Teucer*que et* Sthenelus« ex omnium suorum codicum recentissimo ne ipsi quidem omni ex parte satis fecisse indo collegere licet, quod in fine adnotationis addit: »Si cui tamen »Te Sthenelus« magis arrideat, equidem non valde repugnabo.« Satis magna quidem codicum auctoritate nititur »Teucer *et* Sth.« scriptura, sed eadem metricae rationi repugnat.

Nam persuasum equidem mihi habeo Horatium in anacrusi, quam vocant metrici, *nusquam trochaeo usum esse*. G. Hermannus quidem elem. doctr. metr. p. 436. exceptos esse dicit duos locos, quorum quidem alter est hic ipse de quo nunc agitur, in postremo eiusdem carminis versu alter, ubi poetae verba sunt:

»Ignis Iliacas domos«

Erravit autem vir summus, quod putat ‚*et* Sthenelus' in veterrimis libris esse et rectius Carolus Lachmannus (in epistula ad Frankium missa eiusque fastis Horatianis adiecta) hac carmen inter prima quae poeta tentarit fuisse. demonstraturus non iam utroque exemplo usus est quia vetustiores libri haberent ‚*te Sthenelus*,' sed altero tantum, addens ille ‚talia nondum perfectae artis documenta quaedam Horatium delere noluisse'. At equidem vix non persuasum mihi habeo, *neglecto in anacrusi spondeo* nullum usquam dedisse poetam nondum perfectae artis documentum, sed severam, quam rectissime observavit Hermannus, legem constantissime esse secutum. Puto enim in altero loco *Iliacas* verbum antiquam glossam esse pro: *Pergameas* et hanc ipsam scripturam cum Kirchnerus p. 57 exstare testatur in editione quadam Petri van Os Zwollis (anni milesimi quin-

gentesimi) et Glareanus vel in codicibus aliquibus invenit; nam quod Orellius putat Glareanum hoc largitum esse de suo, id nullo idoneo argumento potest probari ideoque melius fecisset, si Glareani fidem intactam reliquisset.

Hac igitur scriptura recepta:

Ignis *Pergameas* domos

nulla in Horatii poematis remanet anacrusis *trochaica*.

Pergamus nunc ad Carm. 24, 13, ubi in omnibus quas vidi editionibus post Gesnerum proditis sic scriptum repperi:

Quodsi Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem
Non vanae redeat sanguis imagini et q. s.

Et quidem Orellius (ut in hoc uno acquiescam) ex Cruquii codice Martinio et editione Aldina has scripturas recipere maluit, quam quod in reliquis fere omnibus libris scriptis exstat:

Quid, si Threicio e. q. s.
. . . . . .
Num vanae redeat e. q. s.

Atque quidem in his iisdem scripturis vel nostri codices consentiunt: Blandinianos quattuor dico, Gothanum, Turicensem. Qui tamen factum sit, ut haec antiquissimorum optimorumque codicum scripturae eaeque non solum ad sententiarum nexum satis aptae sed alteris vel aptiores (id quod non est cur multis probem) ab omnibus editoribus spernerentur: non habeo qui expediam. Maxime autem mira sunt et vix non redicula quae Orellius in adnotatione ad hunc locum scripta ad reprobandas codicum scripturas hariolatus est *).

Carm. II, 2, 18. item nondum genuina poetae manus restituta est; in codicibus enim Blandinianis et Tur. non *plebi* sed *plebis* legitur. Atque recte quidem Bentleius iudicat

*) Conferri possunt quae copiosissime de hac stropha disputavit Dillenburger quaestt. Hor. part. I. et II. p. 48—55; sed ne hic quidem in editione sua veram scripturam recipere ausus est.

Graecorum more talem genitivum usurpare potuisse poetam, sed quae affert »similia« exempla sicut: *regnavit populorum, abstineto irarum, desine querelarum*, sunt ea quidem omnia »Graeco fonte parce detorta« (ut ipsius poetae verbis utar[1]; ars poet. v. 53.) sed non ita comparata ut ad hunc locum prorsus quadrent; immo circumspicienda sunt verba *dissidendi* notione insignia et cum genitivo coniuncta. Exstat autem tale exemplum serm. II, 3, 208. modo genuinam scripturam reposueris et rectam interpretationem reppereris; ibi enim in Blandiniano Vetustissimo sic scriptum fuisse diserte testatur Cruquius:

Qui species *alias veris celerisque* tumultu
Permixtas capiet e. q. s.

et quidem cum adnotatione: »alias veri i. e. contrarias veritati« ita ut vix dubium esse possit, quin s littera in *veris* verbo male adempta fuerit voci *scelerisque*; atque in hac scriptura „*veri scelerisque tumultu*“ non solum optimi Bentleii et Orellii libri manu scripti consentiunt sed etiam Gothanus, in quo s littera in *veris* verbo ab eadem manu, quae codicem scripsit, deleta est.

Sed quum non haberent editores qui commode expedirent hunc genitivum alii *veris* scripserunt, *vero* alii. Solus Bentleius *veri* scripturam recepit, sed idem male coniunxit cum *tumultu* v. Nam primum praefracte nego *alias* verbum sic absolute poni posse pro »alienis a veritate«, quod ne ipsum quidem Bentleium fugisse inde satis in aperto est, quod etiam de coniecturis »*falsas*, *vanas*« pro *alias* substituendis cogitavit. Deinde facile persentisces, opinor, *verum* et *scelus* non commode hoc loco sibi invicem opponi; „nam quod divos placasset Agamemnon hoc *rectum* dici poterat, non autem *verum*; quod eam ob causam filiam immolasset, illud recte *scelus*; sed ne cum Bentleio putes *sceleris tumultus* sic nude dici non posse, sed tumultum ibi tantum adesse posse, ubi diversae res misceantur inter se et confundantur: id satis puto cavet, quod alias saepe di-

citur, criminum aut vitiorum tumultus pro „coacervatione criminum“ Quod idem etiam Commentator Cruquianus voluisse videtur, ubi dicit „*sceleris tumultu i. e. mali confusione et societate.*

Itaque ego vix ac ne vix quidem dubito, quin cum Xylandro et Torrentio *veri* pendere putandum sit ex *alias* v., ut etiam *alienus* verbum apud Latinos modo cum genitivo modo cum ablativo coniungitur, perinde ac Graeci dicunt ἄλλος τοῦ χόλαχος. (Cfr. quae cogesserunt exempla Bentleius et Lambinus).

Itaque, ut iam redeamus ad Carm. II. 2, 18, credibile est, ad hunc ipsum Graecorum morem scripsisse poetam *dissidens plebis*, quocum certe ex parte conferri potest „dissimilis alicuius.“

Nec potest contra hanc sententiam inde argumentum peti, quod alias Horatius „differre, distare, discrepare“ verba cum dativo coniungere soleat; nam *dissidens* participium *adiectivi* naturam induisse putandum est. — At Priscianus p. 1158. dativum *plebi* exhibet; scio quidem, sed inde nihil aliud concludendum puto, nisi hoc: „vel vetustissimam esse corruptelam *plebi.* Denique sponte intellegitur, qui fieri potuerit, ut librarii pro *plebis* scriberent *plebi;* contra vix credibile est, mutasse quenquam *plebi* in *plebis.* —

Item mirum est, quod nemodum Carm. III, 24, 4. vidit *Apulicum* scripturam metricae rationi adversari; nam longam esse primam syllabam verbi *āpulus*, *āpulia* satis superque docent loci quales sunt Carm. III, 3, 9; I, 33, 7: Epod. III, 16; Serm. I, 5, 77; II, 1, 38, alii; quare alii *Ponticum*, *Punicum* alii scribere maluerunt. — Rectissime autem Carolus Lachmannus Lucr. p. 37. a Blandiniani codicis scriptura *publicum* profectus versum sic corrigit:

Terrenum omne tuis et mare *publicum.*

Atque quae attulit exempla quibus probaret recte dici *mare publicum* commodeque *mari* opponi *terrenum* i. e.

terram: in iis puto acquiescere possumus. Ego quoque in eandem coniecturam incideram cum propter antiquam scribendi rationem *Tirrenum* tum propter haec Porphyrionis verba: „invehitur poeta in luxuriam aedificiis novis non *terram* solum sed et maria occupantem"; sed id quoque satis superque iuvat, tam egregii et singularis viri assensum tulisse! Sed nolim, ut hoc in transitu moneam, cum eodem Lachmanno (Mus. Rhen. III, p. 612; Lucr. p. 121.) Serm. II, 6, 59. *porgitur* formam Horatio intrudere; etsi in eo prorsus me habet assentientem quod dicit „*perditur* Horatio non convenire;" sed malim equidem sic versum restituere:

Pergitur! haec inter misero *it* lux e. q. s.

ut alias dicitur „gratior *it* dies" vel sic:

Haec inter *trahitur* misero lux e. q. s.

perinde ac in eiusdem Sermonis v. 26. dicitur „bruma nivalem diem *trahit.*" —

Carm. IV, 1, 22. post Bentleium nemo, quod sciam, genuinam scripturam „lyr*a*que et Berecynthi*a* tibi*a*" Horatio reddere conatus est (exhibent autem hanc scripturam et nostri codices Bland. Goth. Tur.). Equidem Britanno assentior, nec habeo quod ipsius adnotationi addam. Quod idem cadit in IV, 6, 21, ubi unus Bentleius „*flexus*" scripturam alteri „*victus*" merito praetulit propter Blandiniani vetustissimi auctoritatem sicut in proximi carminis v. 15. etiam *pater* scripturam. Sed eo magis mirum est, quod ad eiusdem carminis VII. versum 17. ne memoravit quidem eiusdem Blandiniani codicis scripturam:

Quis scit an adiiciant hodiernae crastina *vitae,*

quam eandem et Turicensis tuetur et Gothanus in scripto ad finem carminis saecularis adiecto.

Atque ut id concedam, facillime fieri potuisse, ut quis vulgatam *summae* scripturam explicaret addito *vitae* verbo et sic *vitae* scr. postea male in versum inreperet: attamen

cum permulti alii loci exstent ubi eodem modo, quae in Blandiniano vetustissimo reperiuntur scripturae simplicissimae in ceteris codicibus fere omnibus, elegantiori alicui et magis poeticae cesserint: credibile esse puto, certos exstitisse Horatii interpolatores, qui id inprimis agerent miro quodam pulchri sensu ducti, ut exquisitiora pro minus exquisitis poetae intruderent. Huc pertinent scripturae quales sunt:

Carm. I, 15, 20. *cultus adulteros* pro „*crines*" II, 6, 5. *Argeo* pro *Argivo* III, 3, 66. *ductore* pro *auctore* IV, 6, 21. *victus* pro *flexus*, 14, 28. *meditatur* pro *minitatur* Epod. 2, 18. *arvis* pro *agris*, 16, 23. *flavos* pro *ravos*, quibus e Sermonibus addere possim sat multas.

Quare equidem vix dubitarim talibus locis simplicissimas quasque scripturas ex Blandiniano vetustissimo reducere modo per se ferri possint, id quod in *vitae* scripturam cadere non est quod pluribus commonstrem.

Nam quum huius codicis tam luculentis documentis praestantiam cognoverimus „quidni etiam iis locis eidem potius quam aliis credamus, quibus vel ea habet, quae diversa sed aeque bona sint, vel ea, quae fortasse minus placeant, sed per se ferri possint, vel ea, quae verane an falsa sint iudicare non possis" ? V. Saupp. epist. crit. Sed quia editorum fere omnium nihil fere intererat, in quo codice repperissent, quod sibi placeret (nam de ponderandis inter se et aestimandis codicibus vix ac ne vix quidem cogitabant): ilico factum est, ut male retineretur eclectica quaedam codicibus utendi ratio; quo quid sit perversius in arte critica factitanda nescio. Longe maxime autem mirum est, quod vel ipse Bentleius huic rationi addictus fuit. Nam quamvis bene intellexisset, quanta esset cum Graeviani, Leidensis, Reginensis tum codicum Blandinianorum virtus et auctoritas, tamen id a se impetrare non potuit, ut *constanter* eos sequeretur. Immo „vel in coniectando a cuiuslibet vel recentissimi libri testimonio profectus est eiusque auctoritate confirmavit coniecturas, quae ilico et sponte ei

subnascebantur" (id quod non minus in Terentii editionem cadere nuper docuit Iosephus Kraussius, vir in paucis amicissimus, in Quaestt. Terent. crit. p. 21.) Cfr. quae p. 19. dixi de Serm. I, 4, 25.

Scribatur igitur Carm. IV, 7, 18.

Quis scit an adiiciant hodiernae crastina *vitae*.

Item Carm. IV, 8, 9. ex Blandiniano vetustissimo et Gothano sic scribendum est:

Sed non haec mihi vis *nec* tibi talium res est
Aut animus deliciarum egens;

et 14, 28 ex tribus Blandinianis, Gothano, Turicensi:

Aufidus
horrendam cultis
Diluviem *minitatur* agris.

Scholiastae quidem veteres et Servius ad Vergil. Aen. IV, 171. alteram scripturam „meditatur" agnoscunt, sed recte, puto, Bentleius his praetulit vetustissimorum codicum et Nonnii auctoritatem qui p. 203, 29. habet „cultus minatur" *corrupta* illa sine dubio ex „cultis minitatur."

Sed ne diutius in Carminibus immorer nunc e Sermonibus et Epistulis pauca eligam.

Atque primum quidem ut taceam de Sermonis primi versibus 81. 83. 88., in quibus ex codd. Blandinianis et Gothano scribendum est: „*afflixit, ac gnatis reddat, at si:* longe difficillimus locus est v. 108, ubi codicum alii *nemo ut* exhibent *'nemon' ut* alii. Sed in codice Vetustissimo scriptum fuit:

Illuc unde abii redeo, *qui* nemo ut avarus
Se probet.

Atqui *nemon' ut* scriptura in sententiarum nexum prorsus non quadrare non est quod pluribus demonstrem; *nemo ut* scripturam qui probant vereor ut simile hiatus exemplum apud Horatium inveniant; (quamquam Schedlerus de hiatu Horatiano p. 32. aliter iudicat). Itaque ex Vetustissimo

Bland. scribo *qui nemo*, i. e. *cur nemo*, ita ut poetam quasi respicere putem ad primum carminis versum: „Qui fit Maecenas e. q. s.“

Atque loco sic restituto optime vel ea quadrant quae v. 113. sequuntur vv.: „Sic festinanti semper locupletior obstat“, quibus iterum poeta causam addere putandus est, cur avari nunquam se possint probari.

Attamen temperare mihi non possum, quin hic commemorem ingeniosissimam Fr. Ritschelii coniecturam; qui quidem in illa *n* littera *nemo* verbo male adiuncta latere ratus n̄c i. e. *nunc* leni transpositione facta sic scribendum esse aliquando nos docuit inter Seminarii philologici exercitationes:

„Illuc unde abii redeo *nunc*: nemo ut avarus“

atque huic emendationi ut a sententia, quantum video, nil obstat, ita mirum quantum convenit quod in codice Gothano est *ne* n̄ supra scripta tamen *nemon'ut* scriptura.

Sed cum optio data sit, „Blandiniani codicis venerandae antiquitati“ dandum esse videtur, ut scribatur *qui nemo*.

Missis nunc qualia sunt Serm I, 2, 110. *pelli*, 3, 57. et 60. *ille* et *versemur* et v. 133. *tonsor*, pergamus ad Serm. I, 5, 3. ubi memorabilis in tribus Blandinianis et Gothano exstat scriptura, qua, ni omnia fallunt, non nihil auctoritatis accedit Theodori Bergkii de Heliodoro coniecturae propositae illi in Mus. Rhen. a. 1842. p. 374. Nimirum ille putat qui hoc loco memoretur Heliodorus non diversum esse ab Heliodoro grammatico, quam a Veteribus in numerorum investigandorum arte principem habitum esse constet; atque adeo credibile esse hunc ipsum Heliodorum Horatio praecepta metrica tradidisse, quia „rhetoricae et grammaticae studia coniunctissima fuerint.“

Sed equidem vel id mihi persuasum habeo, ipsum Horatium hoc loco diserte *grammatici* nomen tribuisse Heliodoro et quidem praestantissimi. Est enim codicum nostrorum scriptura haec:

Rhetor comes Heliodorus
Graecorum *linguae* doctissimus.

Ad quam scripturam reprobandam quod primum dicunt, non laudi fore Heliodoro, si summa linguae cognitione imbutus dicatur, id haud facile dederim; nam potest profecto quis artis rhetoricae praecepta tradere, nec tamen esse „linguae *doctissimus*." An forte omnes rhetores eadem linguae scientia imbutos fuisse credibile est?

Deinde ne genitivus quidem cum *doctus* verbo coniunctus quidquam habet offensionis; nam ut de aliis scriptoribus taceam, vel ipse Horatius in Art. poet. v. 380. scripsit:

Indoctusque *pilae, disci, trochive quiescit.*

Huc accedit quod vix credibile esse videtur, poetam in universum vocasse Heliodorum „omnium Graecorum *longe* doctissimum"; sic certe nusquam praedicandi celebrandique modum excessit.

Itaque *linguae doctissimum* Heliodorum nominatum esse puto ut *grammaticum*, ita ut Horatius dixisse putandus sit: „Graecorum grammaticorum doctissimus Heliodorus."*) — Atqui grammaticos constat etiam artis metricae praecepta tradere solitos esse; ergo huic loco Horatiano prorsus convenit, quod Marius Vihtorinus p. 2541. (Putsch.) „At Iuba noster, inquit, qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit, insistens Heliodori vestigiis, *qui inter Graecos huius artis antistes aut solus aut primus est* c. q. s."").

Num autem idem Heliodorus Horatii praeceptor fuisse credendus sit, id propter aliorum testimoniorum inopiam dubium relinquitur, quamquam mihi quidem Bergkii coniectura hac quoque ex parte probatur. —

Pergamus nunc ad Serm. I, 6, 126, ubi primus Bentleius e *solo* Bland. Vetust. scripsit:

„fugio *Campum lusumque trigonem.*"

*) cfr. Fr. Ritschelii Bibl. Alex. p. 138. et p. 145. et 146.

Sed sicut illud verissimum est, ferri hic nullo pacto posse dierum canicularium mentionem (nolo enim copiosius de vulgata scriptura „rabiosi tempora signi“ disserendo acta agere): ita aut naevi quid residet in illa Bland. cod. scriptura aut certe rectius eadem interpretanda est.

Et quidem proficiscendum est a codicis Gothani scriptura hac:

„Campum *lusitque* trigonem“

In qua aut eadem *lusumque* scriptura latet aut aliud quid. Itaque ut concedamus Kirchnero (v. l. l. p. 23.) paulo altius producta altera *u* literae lineola hanc Gothani cod. scripturam e vera *lusūque* esse factam: quid tandem est *lusus trigon*? Interpretes quidem dicunt idem esse ac *lusum trigonalem*; sed nullum afferunt exemplum, quo probetur *trigon* v. habere adiectivi vim; cui si addideris quod *lusus* v. nusquam alias apud Horatium invenitur: dabis, opinor, aut aliter interpretanda esse verba aut mutanda.

Atque potest sane *lusum* v. esse accus. partic. et pertinere ad *trigonem* i. e. den gespielten Ball, sed dubitari potest num recte dici possit: *fugere lusum trigonem;* nec ego velim hac interpretatione uti, quanquam scio talia in *Sermonibus* quippe ab Horatio iuvene admodum scriptis non adeo offensioni esse. Itaque liceat paucas proponere coniecturas, in quibus profectus sum a Gothani codicis scriptura. Sunt autem haec:

1.) Campum *subito atque* trignomen,

aut *que* particula non suo loco posita ut Carm. II, 19, 32: *subitoque.*

2.) *vitoque* trigonem.

Nam etsi Horatii consuetudini mirum quantum conveniret *fugio* verbi repetitio hunc in modum: *fugioque trigonem*, tamen nolim statuere pro hac voce glossam *lusum* vel in Blandinianum vetustissimum irrepsisse. Magis autem arridet:

3.) Campum *invisumque* trigonem,

ut in Serm. I, 5, 48. dicit:

„Lusum it Maecenas, dormitum ego Vergiliusque

Nam *pila* lippis *inimicum* et ludere crudis.“

potes*t* enim *in* syllaba latere in *m* littera *Campum* verbi.

Sed iam ut finem hisce imponam temporis me monent et rei angustiae; spero tamen brevi fore, ut cum de hoc loco alias uberius disseram (nam de *lusu trigonali* multa restant diligentiore disquisitione egentia v. Bekk. Gall. III, p. 97) tum addam quae plura iam chartis mandavi de multis aliis Horatii locis e Blandinianorum codd. et cod. Gothani auctoritate restituendis. —

Vita.

Natus sum, Marcoduri a. CIↃDCCCXXVII. patre Winando Pauly matre Gertrude e gente Butz; quorum utrumque adhuc in vivis esse valde laetor. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus inde a duodecimo aetatis anno frequentavi per octo annos gymnasium Marcoduranum, cuius rectoris Meiringii pariter ut reliquorum quos ibi nactus sum et benevolentissimos et eruditissimos praeceptores, de me praeclara merita nulla unquam in me obscurabit oblivio. Deinde maturitatis testimonio munitus a. CIↃDCCCXLVII. adii hanc almam universitatem, ut studiis cum theologicis tum philologicis operam navarem; sed utrorumque natura et indole penitus perspecta abhinc unum annum factum est ut ab illis desciscerem, amplecterer haec sola.

Scholis autem interfui theologicis: Hilgersii, Dieringeri, Martini, Scholzii, Flossii; philosophicis Ritschelii, Welckeri, Schopeni, Ritteri, Bernaysii, Knoodtii, Brandisii, Loebellii, quibus omnibus debitas ago gratias. In primis autem suspicio venerabundus Ritschelium et Welckerum; neque unim solum in Seminarium philologicum me receperunt (cuius per quattuor semestria sodalis fui ordinarius, nunc senior sum) sed cetera etiam tam eximie humaneque me adiuverunt et sustentarunt, ut vix unquam possim debitas hisce viris referre gratias. Sed „ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.“

Sententiae controversae.

1) *Errant qui censent nullam coniecturam tam certam esse posse, quam inter scriptoris verba recipere liceat.*

2) *Scholiastarum Horatianorum Acronis et Porphyrionis quae fuerit aetas certis argumentis probari nequit; nec constat uter utra aetate fuerit prior.*

3) *Demosthenis orationem* περὶ στεφάνου *non est cur contra apertissima veterum testimonia Ol. CXI, 3. assignemus; sed orata est Ol. CXII, 3.*

4) *Horatii Carm. IV, 8, 17. caesurae post primam Carthaginis verbi syllabam factae nulla est commoda excusatio.*

5) *In Antiphontis orat.* περὶ τοῦ Ἡρῴδου φόνου *p. 131. (ed. Bait.) pro* εἴ γε χρῆναι *scribendum est* ἢ γῆ χρῆναι.

6) *Demosth. Orat. Olynth. tertiae 16, 1. pro* ἆρά γε ὁμοίως καὶ παραπλησίως; οἷς τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ πόλλ' ἂν ἔχων εἰπεῖν *scribendum est* ἆρά γε ὁ. ἢ παραπλησίως; τὰ μὲν κ. τ. λ.

7) *Demosth. orat. contra Midiam p. 516, 13. pro* ἀλλ' ἃ πάντες ἂν ὁμοίως ἀκούσαντες ἀγανακτήσαιτε ταῦτ' ἐρῶ *scrib. est* ἀλλ' ἃ πάντες ὁμοίως ἀγανακτήσετε.

8) *Apollonius Dyscolus* περὶ ἀντωνυμίας *p. 330, C. (Bekk.) non scripsit* παρὰ δωδίοις *sed* παρὰ Ῥοδίοις.

Lh 9.555
Quaestiones horatianae criticae.
Widener Library 006450212
3 2044 085 204 345